

DISPUTATIO PHYSICA

DE

FLETU,

QUAM

Cum Consensu AMPL. FAC. PHIL^{os}

In Reg. Acad. Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI,

DN. PETRI HAHN,

Phys. Prof. & Bibl. Reg.

& Ordin.

Liberalis exercitii gratia publicæ

Submittis censura

S. R. M. Alumnus

ABRAHAM SIMONSEN

Wexoniæ Svecus.

In Aud. Max. die 25 Aprilis 1703.

horis consuetis.

Exc. Jo. Wal.

*Amplissimo, Pl. Reverendis,
Clarissimis ac Spectatissimis.*

DN. JONÆ NYMAN / Judici
territoriali accuratissimo & æqvissi-
mo, Patrono & Promotori suo, ut â
teneris propensissimo, ita etiam per-
petim summo reverentiæ zelo suspi-
ciendo.

DN. M. MAGNO MEGALINO,
in Gymn: Wex: Eloquentiæ Lectori
celeberrimo, Consist. Assessori dex-
terrino, Meccænati & Promotori qua-
vis observantia multum colendo.

DN. M. CHRISTIERNO HAMMAR /
Scholæ Cath. Wex. Rectori laudatis-
simo, Evergetæ indubitatissimo.

DN. M. CAROLO WESMAN /
Pastori in Nyssby & Tutary dignis-
simo, Fautori optimo.

SALUTEM, INCOLUMITATEM, OBSEQVIA
ET OFFICIA!

Gratias quantas meruisse dicam
Vos, piis Musis placidos bonosque
Quos dedit cœli favor haud iniquus
Miqve Patronos.

Cerno enim nostras superare vires,
Cum volutamus benefacta vestra
Mente sincera: DEUS illa penset
Largiter olim.

Hosce quos profert tamen hicce agellus
Messe de valde tenui Manipulos,
Vos precor, Patres, facie serena
Suscipitote.

Sint viris tantis licet isti parvi,
Sunt tamen grato ex animo profecti,
Inde speramus minimè favorem
Defore Vestrum.

VEST, NOM.

Addictissimus

A. Zimmerman

Ipsarum cum LECTORE
Linearum COLLOQUIUM.




Quando ita non dudum specimen, mi Candide Lector,

*In lucem edendum versarem pectore mecum:
Materies sese de FLETLI nobilis ista,
Obtulit ecce mihi imprimis, satis ardua & ampla.
Rei cuius nodo scrutando tum retegendo
Tempora cum dederit Doctorum non tamen aequè
Ingenium felix, abs re non esse putavi
Præcipua illorum scriptorum simplice penna
(Ut factum sentis) in chartam ruc referre,
Censuræque tuæ totum subicere honestæ.
Præmoneo tamen hoc minimè me mente agitasse
(Quorundam ut genius) speciosas vendere
nugas;*

*Verùm ut proposito fiat satis unicè adere.
Nilque nudum abs aliis diversum velle statutum,
Qui sapiunt supra stupidam tardamq; Minervâ
Nostratæ multum; rerum fandique peritos
Ultero sed fateor dicoque per omnia ferme
(Debeo queis totum penitus) scribendo sequi-
tum.*

*Ingenii specimen quale hoc sit, Lector amande,
Excipias ergo nunc dextrè sedulus oro
Et mihi des veniam Juveni non omnia doctæ.*



THESIS I.

Rxamini bonorum subje-
cturi FLETUM, variis
objectionum nodis &
Philosophorum in di-
versa euntium sententiis
innexum, id mente
volutamus, quod per fluentium
aquarum vestigia saxis fallentibus
impedita inambulaturi. Hi antequam
iter ineunt, serio de transitu omni-
bus votis expetito secum cogitant,
ne saxorum lubricis insistentes in-
barathrum cadant. Nos, oculis ad tot
cogitationum divortia intentis, haud
parum subit admirari, quod complures
falsa admittant, paucissimi autem veri-
tati assurgunt. Interim dum his, qui ve-
ritatis nituntur fulcro, adhæremus, tran-
situm nobis felicem patere, Divina af-
fulgente gratia, nulli dubitamus. Qua-
re cum fere supervacuum sit, in exi-
stentiam *Fletus* laboriosè anquirere, il-
lumque multis rationum momentis e-

vincere: docet enim ratio, observant
sensus, confirmat experientia eum
dari. Statim ergo à limine, ad eam
Methodi rationem, quæ non tantum
in Scholis Doctorum, satis jam longo
invaluit usu sed & Clarissimorū in Pa-
læstra literaria virorum præceptionibus
fulcitur, genuinam vocis *Fleus* nota-
tionem examinandam suscipimus: quod
tamen paucis, in re non usque difficili
exequi sufficiat. Scilicet natales suos
debet verbo *Fleo*, quod ipsum Primiti-
vum est. Uti enim Orta Primis propagi-
nes suas debent; ita prima suæ ipsius
censentur originis.

THESIS II.

Circa vocabuli pleniorē enodatio-
nem, variæ sese sistunt æquivocatio-
nes explicandæ. Ubi notamus voca-
bulum hoc aliquando *improprie* accipi,
quo sensu longius ad omnes quatuor
entis gradus trahitur. Atque sic sumi-
tur vel *latissime*: dum statuis, columnis
& truncis aridis, humoris guttulas e-
mitte

mittentibus, *Fletum* tribuunt Pontificii
 L. 1. *Atlant. Mauriani à Jesuita Grumpen-*
bergb edit. p. 155. Aut quando arbores,
 quæ stillis fluunt, lugere dicuntur. Vel
latè: dum asini, leones, lusciniæ, canes
 &c. à Poëtis juxta atque Philosophis
 plorantes scribuntur eò, quod humor
 aqueus solutus, ab oculis eorum interdum
 manare videatur. Ut Plinius de
 eqvis L. 8. C. 42. *Amisos lugent Dominos*
lacrymasque interdum desiderio fundunt. Et
 Svetonius in *Ful. Cap. 81. Equorum greges*
ubertim flent. De iisdem Calabius L. 3.

Neque immortales equi Æacide
Manferunt lacrymarum expertes apud naves.

Homerum Iliad. 17. de eqvis Achillis
 Patroclum lamentantibus, memoriæ
 prodidisse legimus,

- - - - - *Lacryma quod ipsis*
Calide ab genis fluebant in terram lugentibus.

Æthiopum Fletum, super morte Me-
 mnonis, luctui canum assimilat Cala-
 bius loco supra citato. Lusciniarum
 ploratum Sophocles sequenti modo de-

4
pingit: *Semper plorant & nunquam conso-
piunt lacrymas seu luctum.* Claudianus
2. Eutrop. leonum luctum explicaturus
canit:

- - - *Lacrymis torvi maduere leones.*


Asinos Mauritaniae acerrimè fle-
visse, Ælianus C. 9. L. 14. notavit. Plura
de tali Fletu desideranti, de La Cerdæ
Comment. in Virg. IV. Georg. V. 501.
non parca manu dispensabit. Aliquando
vero *proprie* ac *strictè*, quomodo *Fletus*
homini est proprius ac naturalis: non
tamen quæ ex morbo oritur, quem
Fletum Medici, vel in cerebrum humo-
ribus abundans vel squallens ulcus re-
ferendum putant. Quamvis, qui sine
morbo fit, non semper easdem causas
habeat: nam quando vel ridentibus
guttulæ excidunt: quod fit meatibus ita
laxatis, ut intra vasa sua non contineat
se humor. Vel allium, cortices malo-
rum aureorum, digiti, pulvis, fumus &c.
pupillam tangunt aquamque eliciunt
(cujus rei causa in promptu hæc est:
quia membrum illud tenerrimum, o-
culus

culus nempe, injurias atomorum ferre
 nequit; ideoque viribus cunctis expel-
 lit cum hostem puta atomos, tum ma-
 teriam puta aquam, in qua fixam se-
 dem ponere voluit) Fletus dicitur de
 facto, non de jure: non κατ' ἀλήθειαν;
 sed κατ' ἀναλογίαν. Verum quatenus re-
 ceptioni speciei animo tristitiam affe-
 rentis originem debet, & guttulæ a-
 queæ ex oculis, à voluntate intellectus
 imperio parente, exprimuntur. Unde
 nos hic *Fletum* expendimus, cum ut
 prædicamentale accidens, homini na-
 tura insitum, quoad actum primum;
 tum quâ hujus actus exercitium: hoc ad
 prædicamentum actionis, illud ad quali-
 tatis referentes. Quomodo *Fletus* non est
 potentia objectiva; sed subjectiva, quæ
 tum impotentiam naturalem includit ad
 flendum: & sic sumtus non mediatum;
 sed immediatum seu formale lacryman-
 di principium denotat, quod & recipit
 & largitur actum; tum impotentiaæ na-
 turali, quæ gradu perfectionis à poten-
 tia naturali differt, contradistinguitur.

Nam quamvis in iis, qui nunquam vel rarò flere possunt, operatio denegetur; tamen nullus facultatis, nullus potentiae adest defectus. Hinc annectimus Synonymiam: *Fletus* dicitur ab Hebræis פלל. Græcis κλαυθμός, Ἰρῆνος & ὄδυρμός audit. Latini ejulationem, flumen, plangorem, ploratum & potentiam lacrymandi *Fledunt* salutant.

THESIS III.

Nominali tractatione defunctis, interiorius ad rei considerationem deveniendum. Ubi statim Argumenti præsentis definitio genuina ponenda esset; ni via, quâ illam aggredi solemus, salebris obsita esset. Quam ergo imprimis vindicare, ut securius deinde ambulemus, tutissimum est. Quos vero hic ἀντιπρόλεμνος habemus, sunt illi, qui fletum strictè ita dictum non solum homini; sed Crocodilo etiam vendicant: qui ut ipsius ex figura patet, est animal, lacertæ speciem referens, quadrupes & oviparum. Ægyptus & India ei terræ natales sunt. Ubi ex ovo quod



quod paulo anserinum superat, in longitudinem septendecim aut etiam viginti ulnarum, cum dentibus validis & exsertis, lingua immobili totaque adhærente, & durissima cute in dorso, in ventre verò mollissima excrescit. Præterea dies in terra, noctes autem in aqua vivere, totaque hyeme dormire dicitur. De quo Albertus M. Hist. Anim. L. 14 ita: *Crocodylus hominem cum potest, interficit & eundem postea deplorat.* Cui consentit Levinus Lemnius, L. 4. de occult. nat. mirac. C. 10 dicens: *Crocodylus homini insidias struit & devoratum discerptumque deplorat.* Horum à sententia alienus non videtur B. D. Franzius, Hist. Anim. p. 889. Si modò suam eam fecit, in sequentia verba dum narrat: *Crocodylus prius corpus animalium comedere solet & postea cum lacrymis adolere caput, unde proverbium lacryme Crocodili, cum quis misericordiam simulat.* Alios ejusdem sententiæ tacemus. His autem, nisi latiori sensu juventur, contravenit Canon Logicus, qui ita habet: *Contraria com-*

mune postulant subjectum. Uti E. G. lætitia & tristitia, amor & odium, desiderium & fuga, timor & audacia, sunt omnium sanè Philosophantium consensu in anima sensitiva. Ridere & flere sunt etiam actus contrarii; sed quis sustinet affirmare animam sensitivam risus subjectum esse? Absque ratione risus nunquam fit, qui de homine demonstratur per causam efficientē seu rationalitatem, ut necessariò dicendum sit: Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis. Et contra: quidquid non est rationale, illud non est risibile, Crocodilus non est rationalis: ergo non est risibilis. Risu cum destituatur, carebit etiam fletu. Schottus, qui summo studio in id incubuit, ut Crocodili fletum probaret, non habet, quod videmus, aliquid solidi, quod allato argumento satisfaciat. Dicit quidem in *Phys. cur* L. 7. p. 883. *quod Flendi potestas non ita rationalitatem sequitur ac risibilitas.* Id quod nos faciles concedimus: Nec enim dicimus *Fletum* eodem

modo existere, quo risum ex rationalitate; *Fletus* enim habet pro objecto res tristes; risus verò lætas. Verum instat minus congruè: *Soli homini Fletum concedi, brutis vero denegari; cum, ut experientia docet, bruta dolent & tristantur, hisque affectibus agitata profundunt subinde lacrymas ex oculis, non secus ac homines.* Fatemur quidem bruta gemere; sed non statim flere. Nam gemitus est exclamatio quædam dolentis, verum fletus est remissio dolentis, cum effusione lacrymarum voluntaria. Quod si gemendo nonnunquam aquam ex oculis emiserint bruta, tale quid non à gemitu quâ tali & perse sed per accidens; nimirum vel ex redundantia pituitæ, vel saniei, vel ex alio affectu cum gemitu conjuncto fieri censendum. Quo ex fundamento sic ratiocinamur: si fletus Crocodilo comperat, ei inest aut respectu formæ specificæ aut genericæ. At non priori modo: nam quidquid Crocodilo quâ tali proprium est

est, illud soli totique speciei semper inest, & sic homo aut *fletu* caret, aut Crocodili natura gaudet, quod utrumque absurdum. Neque posteriori: nam quidquid Crocodilo ita tribuitur, illud nulli cæterorum animalium est denegandum. Fletum in bruta non cadere ex superioribus patet: ergò nec Crocodilo attribuendum esse. Albertus Levinus, alique quod contrarium tenent, id ipsum non nisi ex aliorum relatione sapiunt, unde temper repetunt, suum *Dicunt, Ajunt*. Nimirùm relata audiunt, auditaque referunt, quæ quod facilè credunt, facilè decipiuntur. Nemo adhuc inventus, qui dicere potuerit: *vidi Crocodilum lacrymantem*. Quod proverbium de *lacrymis Crocodili* concernit, credimus quod hoc non primò inde ortum sit, quasi Crocodilus verissimè flet, sed ex eo fluxerit: quod cum Majores nostri, Crocodilum haustas ore aquas in viam, qua hominibus ambulandum erat, eructare, ut in lubricis concidentes sibi esui

sumeret, experirentur, guttulas illas *Crocodili lacrymas* appellarunt, atque animis simulantibus postmodum attribuerunt. Quas deinceps alii, scientiæ naturalis minus gnari, Crocodilo propriè adscripserunt.

THESIS IV.

Refectis itaque rejectisque viarum impedimentis, necesse est, ut gressus firmemus, & citato pede in ipsius definitionis structuram, ceu certam ad fletus adyta referenda rationem, ad præmonita & exempla subactioris ingenii Philosophorum, ne ante positum ovum immaturus excludatur fœtus, transeamus: quam manducente Clarissimo Sperlingio talem condimus: *Fletus est facultas animæ rationalis ad tristitiam representandam ordinata.* Dicendum est heic, posse quidem admitti aliam definitionem, si melior detur seu inveniatur; sed hanc retineri, tum quia Physicus qualicunque descriptione pro suo instituto contentus sit, tum etiam, quia melior vix habetur. Hæc legitimis

mis suis cancellis septa est. Cujus ana-
 lysis fit in genus & differentiam: per
 quæ, ob faciliorem intellectum, de re-
 bus ipsis, ceu in speculo adumbratis,
 ratiocinamur: quibus sine jejuna est at-
 que exsangvis totius definitionis stru-
 ctura. Ponitur vero generis loco *Fac-
 ultas*, quod genus hic adæquatum esse eo
 ipso satis evincitur, quia naturâ suâ de plu-
 ribus prædicari aptum natum sit: nempe
 de risu, nec non reliquis mentis facul-
 tatibus, quibus verè dicimur intelligen-
 tes, volentes & loquentes. Anima non
 est potens suas operationes immediatè
 seu per propriam substantiam elicere,
 hoc enim est virtutis infinitæ, sed per
 qualitates ab essentia animæ manantes.
 Unde sequitur *Fletum* esse quiddam ab
 anima rationali distinctum: hæc enim
 substantia est, ille accidens, cujus es-
 sentia est inexistentia: inhæret quippe
 subjecto, nec identificatur cum anima,
 sed hanc extraessentialiter tantùm af-
 ficit. Differentiam absolvent voces de-
 finitionis reliquæ, quæ desumitur ab

objecto & actu. Fletus *objectum* est res tristes: ut enim intellectus veritatur circa intelligibilia, voluntas circa volubilia, sermo circa res mente conceptas, & risus circa res lætas; ita fletus circa tristitia. *Actum* cum reliquis animæ rationalis facultatibus nec communem habet. Actus intellectus sunt apprehensio, iudicium & discursus. Voluntatis appetitus & averfatio. Sermo nis res mente conceptas enunciatione manifestare. Risus lætitiã; fletus vero tristitiã repræsentare.

THESIS V.

Postquam sic definitionem realem expendimus, ad aquam ab oculis in fletu manantem accedimus, & quidem ita, ut unde veniat, ostendamus. Corporis nostri talem deprehendimus constitutionem, ut partes ejus semper resolvantur atque à calido humidum perpetuo absumatur: cum illud flammæ; hoc vero olei instar se habeat. Ne periremus ergo ante definitum tempus, munifica rerum mater providit, ut per ali-

alimentum extrinsecus assumptum, de-
 trimentum hoc, quod calidi in humi-
 dum actione contingit, resarciretur, par-
 tesque aliæ in earū, quæ perierunt, impel-
 lerentur ac substituerentur locum. Quod
 dū peragitur, non rotam substantiam cibi
 potusve; sed partes eorum præstantiores
 & subtiliores, hoc est, succum calido in-
 nato refertum nutritionis opus perfice-
 re putandum est: nam veluti calidum
 innatum absumptum est; ita idem restau-
 rari debet. Hinc cuivis nisi oculos in
 calcaneo planè gestanti, nutritionem, abs-
 que percolatione & partium minus suc-
 colarum ex cibo & potu convenientium
 segregatione, fieri non posse, iudi-
 care facillimum erit. Quam ob cau-
 sam Physiologi saniores, tres in nutritione
 corporis animalis concoctiones (præter
 istas, quarum ope, ex sanguine menstruo
 lac in mammis, ex sanguine puriori spi-
 ritus vitales in corde, ex sanguine magis
 subtili spiritus animales in cerebro, & ex
 sanguine, qui nutritioni & augmenta-
 tioni corporis interservit, residuo in te-
 sti-

stibus semen generantur) quæ excre-
 menta gignunt, statuunt. Quarum pri-
 ma est, quando cibus in stomachum de-
 latus decoquitur, ejusque pars excre-
 mentitia, per venam Cylindricam spinæ adiacen-
 tem in intestina deijcitur, atq; liquor qui-
 dā ē fundo ventriculi per vasa lymphati-
 ca versus oesophagum, palatum, fauces &
 lingvā, ad partes has humectandas, ascen-
 dit; præstantior vero ac laudabilior in
 candidā quandam substantiā, quam Chy-
 lum passim omnes appellant, conver-
 titur. Secunda est, quando Chylus per
 venas lacteas (quæ sunt valde subtiles,
 tenues ac exiles ne crassiores Chyli
 partes per eas se insinuent, quas etiam
 plerasque intestina, ut partibus inutili-
 bus eas liberent, excipiunt) non in je-
 cur; sed in venam cavam, & per eam
 cum sanguine circulando in cor rede-
 unte, per dextram cordis auriculam,
 in dextrum ejus sinum fertur. Cujus ac-
 cessu cor per diastolen suam dilatatur,
 donec sanguine impletum in systole
 constringitur, atque sanguinem per ar-
 teri-

teriam pulmonarem in pulmones, ut refrigeretur: ex pulmonibus per venam pulmonarem in sinistram cordis auriculam & hinc in magnam arteriam effundit. Sangvine jam è corde in arterias delapso, concoctio tertia in omnibus corporis partibus fit: quando scilicet beneficio sanguinis, in arteriis, qui subtilis; non in venis, qui crassior est, existentis, corpus nutritur. Ubi æq̃ ac in reliquis duabus concoctionibus, excrementa fiunt. Unde qui Physica tantillum libârunt, ignorare non possunt, quod excrementum ex hac tertia concoctione crassius ex omnibus corporis partibus (excepto cerebro) seceratur & per emulgentes in renes ac vesicam, quousque dejectio fiat, asservetur, tenuius verò per poros ipsius corporis modò sensibiliter, modò insensibiliter exeat. *Quã sententiã etiam fovent An. Le Grand, Harveus, Wallaus & Cartes. in cap. de nutritione.* Excepi cerebrum: nam spiritus animales in illo ex spiritu vitali in magna copia, cum illos nervis per totum corpus

dispersis sufficere experientia comprobet, generantur. Præterea superat cerebrum humanum dimidia sui parte bovinum, teste Bartholino in inst: L. 3. C. 1. Quæ sanè magnam excrementorum collectionem arguunt. Prius: quia tam innumeri spiritus, non nisi ex multa materia, quam multum excrementi sequitur, fieri possunt. Posterius, nam magnum illud cerebrum copioso eget alimento, unde plura surgunt excrementa. Hinc in cerebro quatuor ventriculi, qui excrementa excipiunt, inveniuntur. Hisce cerebri excrementis, cum ob multitudinem suam, tum crassitiam, se ad renes seu vesicam, vel exitus alios cæteris excrementis patentes; deducere non permittentibus, mens, quæ totum orbem regit, viam per nares, aures, oculos, cranii suturas ac os, pro diversitate crassitiei illorum, exeundi invenit: nempe quod crassiora si magis talia per nares ac os, si minus per aures excernantur. Tenuiora sunt vel aqua vel vapor. Vapor per cranii su-

turas; aqua verò per oculos, quod experientia satis clarè probat, exeunt, *Præunte Sperlingio in Anthropol. de Fletu*, Atque sic aquam istam ex oculis in fletu profluentem, cerebro præcipuè originem suam debere, nemini non notum fore existimamus, aliis partibus corporis non exclusis: cum accuratiorem hac de re Medicis considerationem relinqvam⁹, secundū illud: *Ubi desinit Physicus ibi incipit Medicus*, ne falcem in alienam messem immittamus. Sed quomodo ad oculos & cerebro perveniat, adhuc sub iudice est: quod neque facilè intelligi posse videtur, ni prius oculi descriptio fiat, & quomodo ejus partes dispositæ sint aperiarur; totum enim oculum aquæ recipiendæ destinatum esse, neminem affirmare aulum credimus: Cum non videamus, quomodo oculi salvi ac illæsi esse possent, tot nonnunquam humoribus substantiam ipsorum pertranseuntibus, qui non humidi tantū; sed etiam falsi sunt. Ex Anatomia perspicuum est, quod oculos primò inspici-

en-

entibus ossea orbita, cum palpebris & superciliis, nec non glandulæ cum vasibus & ductibus excretoriis, quibus septem nervi adjunguntur, occurrant. Accuratus qui oculos tractant, musculos inveniunt, quibus mirus ille globus, in cujus medio pupilla est, suspensus intra ossis orbitam manet, quos tunicæ cum humoribus excipiunt. *Quemadmodum An. Le Grand sententia est in cap. de oculis.* Jam quidam Medicorum aquam excrementitiam è cerebro per nervos opticos, quidam per ipsos musculos oculorum egeri perhibent. Plempius rimam illam oblongam, quæ in osseo oculi thalamo videtur & in cerebrum rectâ ducit, viam aquæ esse existimavit. Alii venas à panno tegente cranium oriri, atque ab eodem fieri conjunctivam, quæ finem haberet in carne spongiosa ibi existente: præterea etiam alias venas à pelliculis interioribus per orbitas oculorum ad prædictum locum progredi, & sic per illas utrasque venas aquam ad carnem lacrymalem fluere

ere voluerunt. Quibus accuratiori scrupulo perspectis, sine umbone illorum sententiam repellimus. Quod ut palam videatur, cum omnes inconvenientias hinc exurgentes enumerare longum sit, breviter hoc ipsis oggerimus; quod rerum fœcunda creatrix non vano conamine glandulas oculorum; sed eo fine, ut aqua è cerebro per vasa excrementoria ad eas deducatur & ab oculis inundationes amoveant, figurârit. *Uti Sperlingius in Antbropol. de Fletu pluribus agit.* Quod & veritati consentaneum videtur juxta illud: *Non videndum est quis dixerit; sed quam verè dixerit.*

THESIS VI.

Post enodationem termini à quo, viæq; aquæ excrementitiæ ex oculis in fletu provenientis proximè quoad ipsam originem explicanda est tristitia, seu fletus causa proxima, si aliàs, vel cur aqua ista tam copiosa sit, vel quomodo exprimatur, percepturi simus. Ex arcta illa, & planè stupenda animæ nostræ

stræ cum corpore connexionem, nos ita comparatos esse observamus, ut moto corpore moveatur etiam anima & versa vice, mota anima moveatur etiam corpus. Nam tota cutis cum carnibus, ex quibus externus corporis nostri habitus compingitur, intentas nervorum propagines habet. Unde quam citò aliquid tangit corpus nostrum, fit motus in organo, ope nervorum, quorū extremitates per totum corpus extenduntur & ad cerebrum protendantur, in cujus medio, nimirum in exigua cerebri parte coeunt. Qui motus mox ad cerebrum delatus & inde menti communicatus, illam variis modis, prout illi nervi diversi sunt, afficit: cum ea cerebro in sensatione proximè conjuncta sit. Quia licet reverà sit tota in toto & tota in qualibet parte, ut aliqua parte exclusa & alii inclusa esse dici non possit; tamen in exigua ista cerebri parte, tanquam in arce has suas functiones exercet. Hinc per illos nervulos non solum spiritus animales agi-

tari sed ipsam etiam animam, dum ab objectis sensuum extremitates organorum tangentibus, varia pororum cerebri apertione imagines infiguntur, excitari certum est. *Cartesio & An. L. Grand. minime refragantibus in cap. de sens. in communi.* Hoc ut in aliis multis; ita etiam in tristitia videre est. Nam si primam ejus originem & causas efficientes inspiciamus, oritur hæc præcipuè ex rei alicujus minus gratæ in cerebro impressione, cujus vis ex tristi objecto veniens, nec non validus impetus istius ac quasi in summa vi posita spirituum operatio animam statim afficit & vehementiorem ejus accendit observationem, ut iis, quæ tristi modo semet percellunt, fortius se det: cum in iis dolorem, quem in rebus antea perceptis non comperta est, deprehendat. In illis rebus verò, quæ solo mentis conspectu sine figuris percipiuntur, multò aliter fit: nam ibi sola cognitione animæ, ut in angelis malis & animabus damnatis patet, provenit
 tri-

tristitia. Sed in hominibus vis imaginatrix, propter strictam illam, quæ animam inter & corpus est, unionem, nunquam desinit agere in cerebrum, ut corporeis similitudinibus res insensiles si occurrant, quodammodo vestiatur. Atque quando anima speciem objecti tristici, ut jam jam dictum erat, ad se applicat & imaginatur: veluti spiritus animales eo motu, in imaginatione lætitiæ, moventur, ut cor dilatetur; ita contra iidem in imaginatione tristitiæ ita determinantur, ut cordis orificia, per nervulum, quo circumdantur, arcent & contrahant, & copiosi sanguinis in illud ingressum, & ex eo egressum impediunt. Hinc tristitia veluti vinculum quoddam circa cor sentitur. Quemadmodum Basiliius in Hom. de gratiarum act. loquitur & quidē p: 359. Δάκρυον ὅκ πληγῆς τίνος τῆς προσβολῆς τῆ ἀβελήτε, τὴν ψυχὴν τῶν πονητῶν καὶ συσέλλονται, καταθλιβομένον τῆ πεικαρδίας πνεύματῶ ἀπολίκεσθαι πέφυκεν. *Lacryme exoritur solent ex impetu quodam & impressione minus prævisa ac si illata esset plaga,*
quæ

quæ percelleretur anima & contraheretur,
 compresso & coarctato spiritu circa cor.
 Cum quo Cartesius & An. Le Grand in
 cap. de affectibus consentiunt. Tristiti-
 am sic ortam multum auget tempera-
 mentum, quod est vice dispositionis &
 animam quodammodo ad suas propen-
 siones impellit. Unde videmus, quod illi,
 qui corpus aliquo modo ad tristitiam
 dispositum habent, facile animam ac
 cogitationes suas eo abripi, quibus ad
 eum effectum excitari possunt, patian-
 tur. Quemadmodum Cartes. in Epistolis insi-
 nuat. Magna parte sanguinis, in tristi-
 rerum statu non tantum in corde; sed
 circa cor cohibita: ubi calor natus
 præcipuam suam sedem habet, fieri
 non potest, quin multi vapores non
 secus ac ex aqua fervescente orientur.
 Teste An. Le Grand in cap. de Tristitia.
 Qui, cum alium sibi locum non inveni-
 ant, per arterias illas carotidas sopori-
 ferasque ad cerebrum transeunt. Ubi
 frigore nec non vasorum compressione
 (quæ ex consensu cordis & cerebri

tunc temporis fit) congregati condensantur ac in aquam convertuntur. Quæ cum ad glandulas tum nares, cum non parum humiditatis per nares lacrymantibus exire experientia doceat, nec non alios exitus, excrementis cerebri infervientes, deducitur. Quam humoris copiam causam esse, cur homines tam longo tempore in lacrymas sufficiant, profitetur prænominatus Basilius, loco dicto. *Cui nec contradicere videtur An. Le Grand in cap. de Tristitia.* Hinc ut modus, quo aqua excrementitia exprimitur, innotescat, attendendum est: quod intellectus, objecti tristici natura cognita, voluntatem movet non præceptivè aut compulsivè; sed per modum svasionis. Primò quoad actus exercitium, dum ex non volente tristitiam aliquo modo ostendere, volentem efficit. Deinde quoad actus specificationem, svadendo expressionem aquæ excrementitiæ oculorum glandulis inhærentis, præ aliis modis petendis ac eligendis potiorem esse. Tristitia ab intel-

relectu sic monstrata; in voluntatis
 libertate est, utrum velit an nolit a-
 quam excrementitiam illam elicere.
 Unde duplex voluntatis actus: appeti-
 tivus vel averfativus. Quorum uterque
 est vel elicitus vel imperatus. Elicitos
 voluntas immediatè, nulla alia interve-
 niente potentia, ex se elicit: ut velle,
 nolle, repudiare, eligere, amare & o-
 disse. Imperatos, mediante alia poten-
 tia, cui producendos imperat, profert.
 Suntque vel cum rationis expertibus
 communes: ut manducatio, progressus
 & similes. Vel hominis proprii: ut loqui,
 ridere ac flere. *Rudrauffio, Ittero, Vende-
 lino & Gezelio hac in re cum nobis facientibus
 in cap. Ethic. de voluntate.* Unde ut à fonte
 est flumen; sic à ratione fletus, ratione
 quasi stillante in glandulas oculorum il-
 lasque constringente ut humores ex sese
 dent. *Vossio teste in tractatu de fletu ac
 visu.* Hinc cuivis patet, aquam illam
 excrementitiam non debere nomine
 Lacrymarum venire, quamdiu Cerebro

vel glandulis oculorum inest. Adest enim ibi sola lacrymarum materia, scilicet in qua, non ex qua: hæc enim solis corporibus tribuenda est, lacrymæ quæ tales corpora non sunt; sed accidentia tantum. Aliud enim aqua est, aliud lacryma. Hoc nomen tantum, si per tristitiam & non propter alias causas exprimat, meretur.

THESIS VII.

Hisce pro modulo ingenii præmissis, ad fletus objectum relegendum nos applicantes, illud aliud per se, aliud per accidens esse dicimus. Per se est res tristes: ut obitus vel cruciatus alicujus, quem valde amamus, aut nostra ipsorum tormenta & similia. Sed non sola: nam sæpe in lacrymas erumpimus propter invidiam, fastidium, commiserationem, indignationem, pudorem, vituperium ac iram: cum hi affectus eodem modo multis in partibus ac tristitia in cerebrum & cor operentur. Unde etiam species tristitiæ

â Philosophis meritò appellantur. Hic tamen notandum est, quod non quælibet tristitia lacrymas ciere idonea sit: Nam si quid non solum triste; sed etiam atrox sit: sic stupent rigentque membra ob calorem â partibus exterioribus ad cor retractum, ne lacrymula exeat. Ut nobis Psalmenitus Rex Ægyptius exemplo est, Qui, referente Herodoto L. 3. cum a Cambyse Cyri filio regno ejectus in carcere custodiretur, unaque filiarum ejus humili tunica amicta, cum aliis quibusdam virginibus nobili genere natis, ad extrahendam aquam ablegaretur, ut parentes aliique consanguinei captivi hoc ipso cruciarentur, reliquis omnibus captivis id ægrè patientibus & quidem non absq; lacrymis, Psalmenitus terram oculis requirendo *Fletu* solus abstinuit. Hoc viso, Cambyse filii Psalmeniti & aliorum ejusdem ætatis juvenum captivorum plurimorum ora frænari jussit & huc illucque agi, quo Psalmenito fletum excitaret; sed adhuc non lacrymulam

emittebat. Paulò autem post, spectacu-
lo amici cujusdam mendicantis adeo
commotus est ut ingenti fletu eum
alloqueretur. Quare, Cambyfi, cur
liberorum non æque ac amici calami-
tatem lacrymis exciperet, seiscitanti re-
spondit: *Fili Cyri, domestica mala graviora
sunt, quam ut lacrymas recipiant: ad amicus
deplorandus erat, qui multis opibus spoliatus,
ad summam inopiam redactus est, idque in
ultimo senectutis limine.* Hinc Phœdra
apud Senecam: *Cura leves loquuntur, in-
gentes stupent.* Quemadmodum ergo vul-
nera, quæ acutis armis facta sunt, ante
sanguinis fluxum lineæ seu fissuræ spe-
ciem referunt, ita quoque animus su-
bito dolore tanquam sagitta percussus
lacrymas sistit, neque eas erumpere
permittit, nisi prius paulatim dolorem
quasi concoxerit. Ex hac objecti *σκια-
γραφή*, ut innotescat, volumus: quod
res tristes & quidem, si accuratè phi-
lotophemur, novæ mentem efficacius
subeant atque occupent. *Ἑλατικὸν γὰρ
τὸ μὴ ἀφόδρα συνήθες.* *Alliendi vim habet
quidam*

quidquid familiare non est: dicit Isidorus
 Peleusiota L. IV. Epist. 76. Nam. E. G.
 obitum parentis primùm cognitum la-
 crymamus, post aliquot dies non. Ex quo
 facilè videm⁹, quomodo de una eademq̃
 re aliquando flemus, aliquando non. Fle-
 mus quando novitate ejus percellimur,
 non flemus cum species novitatis perit.
 Res enim tristis quam primùm nova
 esse desit, ut vetus, usitata atq̃ vulgaris
 contemnitur. Ita enim profectò com-
 positi sunt mortales, ut vulgaribus &
 usitatis non exsuscitentur; novis verò
 ac raris commoveantur. Ut egregiè
 in hanc rem Seneca VII. Nat. Quæst.
 C. I. *Nemo observat lunam nisi laborantem:
 tunc urbes conclamant, tunc pro se quisque
 trepidat superstitione vana. Quæ omnia
 admirationi adscribenda sunt: nam sicu-
 ti apprehensio anteponitur judicio ac
 discursui: ita etiam contingit, ut res pri-
 us per admirationem percipiatur, quam
 ut quis de illa tristetur. Quod con-
 cernit objectum Fletus per accidens, est
 tale res læta. Manu igitur & verbis,*
 con-

contra Senecā, qui Epist. XCIX existi-
 mat fletum etiam per se ex gaudio pro-
 venire posse, confirmamus. Is postquam
 egisset de lacrymis ex mœrore obortis,
 subjungit: *Hæ lacrymæ per illisionem cadunt
 nolentibus nobis. Alia sunt, quibus exitum
 damus, cum memoria eorum, quæ amissimus
 retractatur. Et inest quoddam dulce tristitiæ
 cum occurrant sermones eorum jucundi, con-
 servatio hilaris, officiosa pietas, tunc oculi in
 gaudio relaxantur.* Nam, si vel conjux
 conjugii, vel parentes liberis, vel liberi
 vicissim parentibus, vel amicus amico,
 post diutinam absentiam aut captivita-
 tem reddantur: Ibi quin mutuus fletus
 illis obtingat, ambigere non debemus.
 Non autem ex gaudio præsentis statui
 originem debente, sed ex recordatione
 prioris fortunæ, in qua & absentes re-
 spectu periculorum evictorum & præ-
 sentes respectu tristitiæ ac desiderii ab-
 sentium vixerunt. Et hoc valet etiam
 de rebus amissis: quando enim aliquid
 amissimus, tunc omnino de illis, quæ
 amissa sunt, non verò de memoria ve-
 teris

eris voluptatis flemus: quia si quid non
 amissemus non ploraremus. Hoc et-
 jam locum habuit, cum Ptolomæus Phi-
 ladelphus lacrymaret sacras videns scri-
 pturas eâ redditas lingvâ, quam & ipse
 & Græcorum alii intelligerent. Ut no-
 bis indicat Fl. Joseph. L. 12. Antiq. Jud.
 c. 2. Nam cur non potuerit dolere,
 quod & ipse & Græci tamdiu tam copi-
 oso usu tanti caruissent thesauri? Multi
 etiam die suo nuptiali in lacrymas e-
 rumpunt, quod tamen non tribuendum
 gaudio illorum; sed tristitiæ, quæ in a-
 nimo concitatur ex eo, quod secum
 volutent, quid postea cum illis futurum
 sit: cum parentes suos vel alios, quî
 illis adjumento fuerint, relicturi & sibi-
 met ipsis consulturi sint. Statuimus
 igitur fletum nullo modo ex gaudio; sed
 solum â tristitia provenire per se sci-
 licet. Sin alicui, ob merum gaudium,
 humores ex oculis obvenerint: dicen-
 dum meatus oculorum tunc ita laxatos
 fuisse, ut intra vasa sua humor se con-
 tinere non potuerit. Atq; sic illud ipsum

fletus nomine venire neque potest, neque debet. *Ad sent. Voss. in tract. de fletu.*

THESIS VIII.

Objecti natura sic pro tenui expedita Minerva subjectum fletus, quod immediato illud excipit nexu, sub incudem examinis revocari vult. Et quia supra, quod speramus, satis probatum ivimus hominem solum flere, inde promptum erit colligere eundem esse proprium fletus subjectum. Ita tamen ut vel magis vel minus, pro diversitate potissimum ætatis, sexus ac temperamenti, fletus in illum cadat. Infantes, cum ob copiam humiditatis, tum quia illis omnia insolentia atque nova videntur, facilius plorant quam pueri: in quibus calor vegetior humores quodammodo diluit. Pueri proni magis in lacrymas quam Adolescentes: nam adolescentia temperatior est ætate pueritiæ: in illa enim humiditas caloris vim minus; in hac verò magis obrundit. Adolescentes porro quam Juvenes, faci-

facilius videas in fletum solvi eò, quod in his aqueus humor annis præteritis multum absumtus & oleaginosæ partes, tenaciore nexu inter se implicitæ, calorem intimius imbibant: unde in Veneres, lepores & rilus procliviores sunt; quam ad lacrymandum. Hisce omnibus severi magis viri ob remissionem fervoris spirituum, qua frigiditas & siccitas in iis subinde invalefcit: senes ob frigiditatem & siccitatem obfirmatam rarissimè omnium lamentantur. Idem etiam dicendum erit de fœminis, omnino enim cum mollioris naturæ præ viris sint, citius etiam in lacrymas erumpunt: quod ex eo maximè stabilitur, quia plerumque viris frigidiores sunt, cum plus humoris contineant. Præterea minus sapientes sunt: ubi autem parum sapientiæ, ibi multum novitatis, unde fletus opulenta materies. Demum fœminis est cerea magis ac flexibilior Cerebri constitutio, itaque facilior quoque flendi conatus. *Vid. An Le Grand de viventibus & etatum differentiis.* De cæ-

rero loquimur de viris quatenus viri
 sunt, h. e. qui non teneriorem foeminae
 animum gerant: quin & hoc non
 semper; sed plerumque procedere con-
 firmur. Quare? quia temperamen-
 tum etiam valet plurimum, quod ex
 sanguine hoc vel illo praedominante o-
 ritur. Sensuum iudicio quavis pars
 sanguinis sanguis est; rationem autem si
 consulamus, in sanguine magnam par-
 tium diversitatem deprehendimus: nem-
 pe vel quid biliosi, vel sanguinei, vel a-
 quosi, vel pituitosi. Quae diversitas so-
 lum ex cibo & potu originem habet.
 Uti Hippocrates ait: *In omnibus cibis
 ac potibus & biliosi quid est, & aquosi, &
 sanguinei, & pituitosi, in alio plus, in alio mi-
 nus.* Hinc quadruplex in animalibus san-
 guis datur. Sanguis in specie sic dictus,
 qui humidus & calidus est, dulcis, ru-
 bicundus ex partibus Chyli tempera-
 tioribus formatus, hisque alendis a-
 ptus: huius praedominio temperamen-
 tum *sanguineum* fit. Sanguis *biliosus*, qui
 calidus & siccus est, e partibus Chyli

lidioribus formatus hisque alendis aptus: hujus prædominio temperamentum *Cholericum* nascitur. Sanguis *pituitosus*, qui frigidus & humidus est, è frigidiore Chyli parte genitus, & huic alendæ aptus hujus prædominio temperamentum *phlegmaticum* oritur. Sanguis *melancholicus*, qui frigidus & siccus est, è frigidiori & sæculentiori Chyli parte factus, & partibus talibus alendis dicitur: hujus prædominio temperamentum *melancholicum* est, vid. *Sperl. in Zoolog. & An. Le Grand de temperamentis*. Quæ enumerata temperamenta non semper illum ordinem servant, ut infantes, pueri ac adolescentes perpetuò sanguinei vel phlegmatici sint; juvenes ac viri cholericus atque senes melancholici. Sed sæpissime infantes sese nobis offerunt melancholici; senes verò sanguinei vel phlegmatici; nempe prout vel semen, quo sati fuerunt infantes, dispositum fuerit, vel nutrimentum, quod sumitur, comparatum est: id quod de cæteris ætatibus pariter judicandum. *Consulatur*

Cartes. in Epistolis. Jam sanguineos & phlegmaticos facilimè; cholericos verò & melancholicos difficilimè flere posse statuimus. Et quidem hac de causa: quamobrem priores sanguine constant, qui in concoctionibus cerebri, ob humiditatem suam, multum excrementi aqueæ naturæ ex sese dat. Posteriores autem sanguinem habent, qui, ob siccitatem, plus excrementi crassi ac sicci; quam humidi suppeditat. Undè experientia probat, quod æque lacrymæ ex iis, quos cum ex facie tum aliis affectibus, reverà melancholicos & cholericos esse scimus, ac ex pumice aquæ eliciantur. Atque hanc esse causam, cur nonnulli non tantùm ætatis gravioris, sed & junioris rarò vel nunquam flere possint, existimamus. Quod ad illud attinet, quod *Melancholici*, dum ad lacrymas pervenerint, sese ab iis vix abstinere possint: probabile est tristitiam in iis tam vehementem esse, ut eam voluntas dirigere non possit.

Heic

Hæc notandum, quod, dum hominem
 objectum fletus solum facimus, non
 excludum velimus Christum in diebus
 carnis suæ, qui ut verus homo & per
 omnia (excepto peccato) nobis similis,
 tum in statu exinanitionis suæ non semel
 fleuisse legitur. Sed nec Angeli mali aut
 animæ damnatæ, à fletu planè exempti
 sunt: cum in inferno erit *κλαυθμὸς καὶ
 βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.* Math. 25: v. 30.
 Fletum tamen physicum illis negamus:
 cum spiritus sint, in quos tristitia cadit
 non sensualis, sed intellectualis. Post re-
 surrectionē, quando corpora animabus
 à DEO iterum coadunantur, tristitia
 quidem afficiuntur damnati sensualiter,
 lacrymas tamen físicas exprimere,
 dici non possunt. Nam sicuti tunc tem-
 poris corpora illorum non aluntur, ita
 nec excrementa ex illis extruduntur.
 Hinc cruciatum supranaturalem fletum
 supranaturalem sequi credimus. Chri-
 sto autem quæ divinam naturam, fletus
 attribui non potuit: cum ad summum
 ens nihil tristitiæ vel doloris accidere
 pos-

possit; Consimiliter in angelos bonos & beatos, qui in perpetuo gaudio sunt, fletus non cadit. Quod idem de primis nostris parentibus ante lapsum ferimus. Ceterum ex hisce hactenus allatis, cuivis patere spes est, quod causa fletus physica principalis, præparans & quidem remota, sit anima rationalis. Proxima, tristitia in animo concitata. Ministerialis imperans, intellectus. Parens seu exequens, partim natura, partim voluntas. Materiam suppeditans, cerebrum & cor. Instrumentalis, glandulæ oculorum. Causa moralis, ipsum objectum.

THESIS IX

Postquam sic breviter pro ratione instituti indolem fletus expendimus, ulterius exigitur ut usum ejusdem insinuemus. In genere autem non parum facit ad oblectandum animum & mentem suam ejusque adfectum significandum. Experientia enim edocti novimus, quod cerebrum aqueæ humiditatis
one

onere levetur: nam quo minus quis fleat, eo magis animo cruciatur. Omnes autem repletiones, si evacuentur, voluptatem post se relinquunt. Sicut qui pruritu aguntur, cum se leviter scalpunt, ut acri humori via aperiatur, voluptatem inde capiunt. Unde Cardanus L. 12. de subt. p. 668. *Soror matris mea Toxima, cum conjugem & duos filios ac filias totidem peste amisisset & neque flere aut lamentari ex more voluisset, verecundia sororis patris mei, viri asperi ac gravis, repente magno edito crepitu disrupta intus mortua cecidit. Alios scio, qui febris perniciosa, ob luctum dissimulatum, correpti interi-ere. Et ut res optimè cadat, neque sequatur mors cohibiti fletus certum premium est caritas.* Hoc autem in lacrymis pœnitentiæ ac confessionis locum habet, de quibus B. Augustinus in Psal. CXXVII. ita: *Nisi haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret. Cum quanta suavitatem plorat, in gemitu qui orat? Dulciores sunt lacrymæ orantium; quam gaudia theatrorum.* Hinc Ovidius 2. Trist. Ec. 3.

Expletur lacrymis egeriturque dolor,

Item 13 Metam.

- - - *Lacrymas introrsus abortas*

Devorat ipse dolor.

Sed præcipuus est fletus usus circa causas spirituales. Qvalis ille Davidis, adulterio & homicidio commissio. Unde Pl. VI. v. 7. ait:
 וַיִּגְעַתִּי בַמִּנְחָתִי אֲשַׁחַח בְּכָל-לַיְלָה מַטְתִּי
 בְּדִמְעָתִי עָרְשִׁי אֲמַסָּה.

h. e. Laboravi in gemitu meo, natate facio omni nocte lectum meum, lacrymis meis stratum meum liquefacio. Nam qui sic cum Davide peccata sua deplorant, remissionem eorum certò impetrant per & propter Christum. Hinc B. Ambrosius Luc. XXII. *Bone he lacryme, que culpam lavant.* Facile ergo dictu non est, quantum debeamus DEO pro beneficio hoc, quod non ratione modò; sed fletu etiam nos cæteris animantibus præstare voluerit. Quam utilis ac necessaria res fletus sit, vel ex eo cognoscere licet, quando adsumus non dico iis, qui loqui nesciunt, nisi lingua ignota; sed hostibus infensissimis: tunc enim lacrymis sæpe id evincimus,
 quod

quod lingua vix potuiffemus. Itaque voluit DEUS, ut, cum vires & fermo deficiant, non deficeret fletus: ut in infantibus ac multis ægris videmus, qui quando fermone non valent, lacrymis nobis mentem suam indicant.

THESIS X.

Vidimus cujus fit fletus usus: jam paucis monebimus de fletu cohibendo, seu quibus mediis frænari possit. Nempe sicuti ex tristitia enascitur, ita ea paululum sublata tollitur. Quamvis enim fletus non occupet se circa tristitiam tanquam subjectum proprium; tamen omnia quæ deplorantur, conjuncta sunt cum tristitia, quâ finitâ fletum etiam finiri necessum est. Hinc fletum, si assiduè objectum triste animo volvat, tolli certum est, ad eum modum quo Augustino auctore L. XXI. c. 4. *Affiduitas experiendi paulatim subtrahit admirati-
onis incitamentum.* Si autem talia objecta occurrant, quæ toties lacrymas eliciunt, quoties de novo sese offerunt,

non dubitandum illud quoque evenire propter rei è circumstantia aliqua additam novitatem. Comprobat enim experientia, homines nulla attentione dignari ea, quæ sunt in patria; remota autem & peregrina non solum majora imaginari; sed etiam ob raritatem impensè venerari. At dum semel atque iterum res ejusmodi illis obveniunt, tunc ipsa sui frequentia vilescunt. Hinc dum alicujus absentis conjux è vita excesserit, tunc superstes certè de morte ejus referentibus tertio vel secundo non æquali animi adfectu auscultat ac primo & per consequens tum excessum & fata defuncti conjugis non tam effusis ac antea lacrymis deplorat. Verùm si primus conjugem morbo, post alter ferro, at ab aliquot diebus tertius, sibi ipsi violentas manus inferendo, periisse, certis argumentis referat: quin unaquaque vice in effusiores lacrymas prorumpat, dubium non est: quia semper aliquid novi & inusitati

tati ei obvenit, quod tamen non fit, si omnes conjugem uno modo decessisse indicent. Finitur etiam balneo, modica corporis exercitatione, vino & somno. In *illo* enim spiritus vitales, qui in continua sunt agitatione, ob calorem externum dissipantur; In *istâ* ob motum corporis intercidunt; In *eo* ob vim ac efficaciam, quam habent ex vaporibus vini quibus constant. Denique in *hoc* ob novos spiritus, qui ex ciborum concoctione oriuntur; non dissimilem in modum vel diffluunt vel commoventur; Qui, cum in cerebrum ascenderint, in spiritus animales convertuntur. *Vid. An. Le G. de viventibus.* Et cum fortiores ac copiosiores sint iis, qui antea ibidem stabulati fuerint, corpus aliis modis agitant. Unde consequitur fletum paulatim ac tristitiam sedari vel penitus supprimi. Porro consolatio & communicatio amicorum, solitudinis evitatio & rerum divinarum meditatio hic minimè excludenda sunt.

Tollitur item inspectione similitum. Ubi exemplo sunt miseri homines, quibus sæpe cum miseriam, cui in hac vita obnoxii sunt, deplorantibus occurrat, non sanctissimos hominum solùm sed Christum etiam ipsum cruce liberos non fuisse: fletus cohibetur & quieti animus redditur. Sic super obitu parentum flentes lacrymas haud ægrè sistunt, quando multos non levioris infortunii telo antea percussos, animum interim à mœrore laxasse & paribus quamvis vitæ aut famæ præfidiis caruerint, illustratos fuisse memoria revolvunt. Denique ad tollendum fletum præsentissimum remedium est contemplatio inconstantia rerum hujus universi: quia cum omnia caduca & vicissitudinibus subjecta sint, non putandum est, singula nutui nostro convenienter contingere posse: ergo DEO, qui sapientissimè omnia gubernat ferio fidendum; cui sit honor, laus & perennis gloria!!!

